



PRÆFATIO AD LECTOREM.



Ominem Morbum esse, immo mortem secum gerere, tritum vulgatissimumque est proverbium, quod ex ore Divi Hippocratis quasi ortum duxit ac promanavit. Nec restat dubium, quin ipsi sano sensu explicato plenissime tribuenda sit fides: Quamvis enim haud inficiemur, non omnem hominem toto die ægrotare, nec singulos homines omnis generis afflictionibus morbos subjici, sed potius multos hominum integrissima sanitate frui; nihiloseius tamen toto die obserbare licet, homines in genere præ omnibus brutis, ægritudinibus subjectos esse; neque a morbis in genere eximi ullam ætatem, ullum Temperamentum, alterutrum sexum, sed sine discrimine omnes diversimode ægrotare, adeo, ut neque deficiant certi morbi, certis hominum conditionibus familiares. Unde in Medicina occurunt morbi certarum ætatum; siquidem, ut morbi infantiles & pueriles innotuerunt, ex chronicis, Achores, Crusta lactea, Tinea capitis, Atrophia: ex acutorum clasfe, Variolæ, Morbilli, Catarrhus suffocativus, affectus convulsivi, aliisque: cum ætati senili affectus lethargici,

P R A E F A T I O.

apoplectici, comatosi familiares observentur. Simili modo res se habet ratione temperamentorum, morborumque ipsis solennium: de quibus notissimum est, cholérica temperamenta, propter sanguineam massam sulphureis atque agilibus particulis maxime scatentem, affectibus magis subjecta esse biliosis, quam aliis, febresque ac Diarrhoeas biliosas, cum motuum exacerbationibus, & morbis hinc dependentibus, ipsis familiares esse atque solennes: phlegmatica vero ex seri copiosa præsentia, afflictionibus a Lymphæ & Seri vitio dependentibus laborare, ideoque Tusses, & Asthmata, Cachexiam, Oedemata, Hydropses, & similis farinæ morbos præ reliquis facilius experiri: Sicut Melancholicis ex spissescientia sanguinis quasi naturali, varii generis infarctus, & oppilations circa viscera nobiliora, præcipue abdominis, obtingere solent, quam ob rationem etiam potissimum cum pathematibus hypochondriacis confluantur. Sexum quod attinet, non minus nobilior, æque ac sequior sexus propriis quasi expositus est morbis, dum varii atque diversi illorum occurunt, qui, si non solitarie & absolute, tamen ad minimum notorie, & ut plurimum Viris præ fœminis frequenter esse solent: utpote ex opposito sequior sexus variis ægritudinibus expositus manet, ex negotio mensium, graviditatis, puerperii, lactationis, a quibus omnibus universus sexus virilis in totum semperque immunis manet.

Ante omnia autem assertum superius prolatum, Hominem totum morbum esse, mortemque secum portare, ut verum haberi meretur, si respiciamus ad dispositionem naturalem & propriam humani corporis, quam ad morbos mortemque possider pronissimam, ex mixtionis

P R I Æ F A T I O.

tionis animalis fundamentis petendam: Mixtionem enim nostri corporis, tam respectu fluidarum, quam intuitu solidarum partium, haud firmam atque perennem durabilem, sed potius maxime corruptibilem, laxam, minime intime cohærentem existere, tam experientia a posteriori, quam ratio a priori firmissimis & irrefragabilibus argumentis suadet.

Experientiam si consulamus, quid quæso magis notorium existit, quam quod omni die, omnique hora videamus, quod corpus nostrum, quamprimum exanimatum existit, sibi que relinquitur, quoad omnes sui partes, tam solidarum, quam fluidarum titulum nomenque gerentes, in corruptionem ruat putridam, eamque præsentem, tam fœtore summo, gravissimo, cadaveroso, putrido, quam cæteris paribus, dissolutione ac diffluxione putrilaginosa in omnium sensus cadente, satis manifeste commonstret.

Nec minus ab eadem experientia, optima rerum humanarum magistra, constat, ne vivum quidem corpus semper ab actuali corruptione liberum atque immune esse: tot enim tantaque in vita communi prostant exempla, viva quasi voce docentia, quod corruptio putrida, etiamsi non totum corpus, tamen certas ejusdem partes invadat atque corripiat; siue testimonium per sphacelationes internas & externas sæpiissime edat.

Quodsi rationem a priori inquiramus, nostrique corporis mixtionem intueamur, ex physiologica permentatione constat, partes principales corporis elementares non nisi Terreas, aqueas, & oleosas esse, prout hoc in Organismo & Mechanismo Hominis vivi, Cap. tertio, abundan-

P R A E F A T I O.

undanter demonstratum est; de quibus sufficienter notum est, quod nunquam intimam mixtionem inter se invicem ineant, sed intercedente quidem motu satis laxe cohærent; deficiente autem motu locali, nullo plane negotio ab invicem secedant; & sub quiete, accedente motu caloris intestino, in putrilaginosam corruptionem fatiscant, fœtoremque concipient.

Quibus præterea accedit, quod corpus nostrum tot inter objecta externa versetur, quæ toto die dissolutionem mixtionis, physico suo concursu facilitare, promovere, eique opitulari possunt: cuius census sunt partim ingesta alimentosa, quæ omnia ac singula sibi relicta corruptibilia sunt, & ante oculos nostros varie corrumpuntur, simulque rationalem conclusionem suppeditant, quod corpus illis nutritum, in hoc genere, haud melioris conditionis evadere possit, quam illæ materiæ fuere, quibus quotidie nutritum fuit: partim externa fermentorii motus adminicula, calor nempe atque humiditas, quæ variis alternationibus sub aëre, corpus perpetuo ambiente, illud afficiunt, & varie alterando, variis generis læsiones producere possunt. Ut mentionem non injiciam variorum exterorum objectorum, quæ structuram corporis mechanicam ab extra lacerare possunt; hac ipsa autem læsione solidas partes affligente per indirectum diversis modis fluidis quoque partibus læsionem inducunt. Nec latet solertiores artis salutaris indagatores, indolem humorum nostri corporis talem esse, ut, licet optimi essent quales in œconomia animali concipi possunt, solo motu intestino, & motu per partes solidas attritorio, in pessimos degenerare valeant, variarumque impuritatum salinarum,

P R A E F A T I O .

narum, sulphurearum, acrum, heterogenearum generationi inserviant. Talis sane est corporis nostri conditio, ut magis admirationem humanam mereatur, quod sub tali conditione per multum tempus durabile existat, nec longe citius corrumperatur, quam quod post aliquod tempus morbis, & morti tradatur, totumque destruatur.

Cum itaque notorium sit, quod homo non solum moriatur, sed quod morbi mortem antecedant, suique praesentia ordinarie mortis metum incutiant, Hominis vivi autem intersit, ut mortem pro viribus avertat; nec minus per gratiam Divinam humano generi benignissime concessum sit, ut per auxilia atque remedia naturalia huc facientia, scopo suo ex aliqua parte potiatur; factum est, ut Ars medica a tot retro seculis eum in finem inventa sit, eoque intendatur, ut, quantum in hominum potestate positum est, vita & sanitas illibata conservetur, simulque spes in eo posita remaneat, quod quasi obstetricante arte ruina fragilis nostræ domus avertatur.

Hinc Medici prudentiores eo incubuerunt, ut certa remedia invenirent, quibus ad morbos profligandos secure non modo, sed certo quoque uti possent, unde vetustissimi Medicorum per multifariam observationem & experientiam talia auxiliorum genera studiosissime collegerunt, quibus singulis afflictionibus morbosis mederi valerent: cum vero tristissima experientia, eaque quotidiana, eos docuerit, Vitam, secundum Hippocratis effatum, brevem, Artem longam, Experimentum fallax esse, numerumque morborum indies augeri, quo magis mortales a victus simplicitate, & laborum pluralitate rece-

P R A E F A T I O.

dunt, & Medici, qui artis industria nomen suum famamque æternitati quasi consecraverant, non minus tandem se quoque mortales, ipsisque moriendum esse, proprio exemplo comprobaverint, optime edocti, unius, imo plurium Medicorum vitam haud sufficere, pro experimentis colligendis, quibus in omni morbo sine exceptione fidere liceat; Medicinæ antistites operam in eo navarunt, ut posteritati rationales leges & regulas relinquenter, quo secundum rationis ductum in similibus morbis incedere possint: quapropter artem salutarem systematico ordine comprehendere studuerunt, variasque partes Doctrinæ medicæ extruxerunt, fundamenti loco inservientes, quo Praxis medica felicior nitatur.

Hunc in finem, cum optime perspectum haberent, Lineam rectam regulam quoque esse curvi, nec unquam declinationem in devias agnosci posse, nisi recta & regia via antea cognita fuerit, semper in Theoria medica statutus naturalis, vitae ac sanitatis considerationem præmisserunt, nec minus ea, quæ naturali ordine & usu sanitatem & vitam conservare possunt ac solent, subjunxerunt: quo facto statum præternaturale atque morbosum, tanquam prioris oppositum, ad examen vocarunt, morbum a sanitate distinxerunt, ejusque cognitionem generalem suppeditarunt, & cum sana ratio dictitaret, morbos nec præcaveri, nec fundamentaliter removeri posse, nisi causæ morborum veræ agnoscantur, evitentur, aut removeantur, fundamentis Physiologiæ & Hygieines jactis, alteram Theoriæ medicæ partem concinnarunt, cui Pathologiæ medicæ titulum imposuerunt, in qua de illis agitur,

P R A E F A T I O.

agitur, quæ homo morbidus patitur, & ut molesta sentit; atque in illorum indolem generalem æque ac specialem, causas, & consequaria, quæ Symptomata dici fuerunt, inquisiverunt; ut hac via semitam invenirent, qua sine hallucinatione ad remedium legitimorum inventionem procedere possent, eaque adæquate & proportionate, pro intentione formata, in emolumendum sanitatis, vel conservandæ, vel recuperandæ, applicare valerent.

Huic viæ, a veteribus æque ac recentioribus semper magni æstimatæ, ego quoque impræsentiarum insistam, dum ex officii ratione Auditoribus, qui haec tenus meæ qualicunque curæ, in efformandis illorum ad Artem machaoniam ingenii, sese concrediderunt, viam facilem atque securam pandere, mihi competit, qua olim in Praxi medica suscipienda & exercenda, secure incedere possint.

Hanc ob rationem ante biennium tractationem physiologicam, seu Considerationem Hominis vivi & sani, sub titulo **Organismi & Mechanismi in Homine vivo obvii**, præmisi, & luci publicæ exposui: ubi non modo Hominem ut vivum & sanum naturaliter constitutum, tam quoad partium structuram & mechanismum, quam quoad earundem mixtionem ob oculos posui, ejusque fragilitatem & corruptibilitatem respectu corporis materialis exposui, sed rationes simul evolvi & enucleavi, unde eveniat, hominem, etiamsi corpus tam fragile atque infirmum constanter secum gerat,

P R A E F A T I O .

rat, nihilominus per satis longum tempus in sanitate conservari, atque persistere posse; studiose inculcando, fundamentum conservationis, ex benignissimi Creatoris clementia, in ipso Homine vivo hærere, totumque conservationis actum a motibus variis organico-mechanicis, in corpore vivo perpetue obtingentibus, atque continua serie celebratis, dependere: quibus perficitur, ut Partes fluidæ in perpetua ac debita depuratione a variis heterogeneis mixtionem & consistentiam humorum lœdentiibus particulis, quæ ipsis sub alimentorum ingestione ac aliunde communicantur, conserventur, solidæ autem partes simul, sub eodem actu puri ab impuro separatorio, per appositionem & assimilationem partium lymphaticarum laudabilem, in perpetua nutritione stabiliantur, & ita fluidæ solidis, solidæque fluidis mutuum atque reciprocum officium conservatorium præstare possint.

Exposito ita statu hominis naturali, statim adjunxi regulas, de legitimo rerum non-naturalium usu: cum enim Res ab Antiquitate veneranda non-naturales dictæ, & numero senario, sub nomine Ciborum ac Potuum, Animi pathematum, Motus ac Quietis, Excretorum & Retentorum, Somni & Vigiliarum, & denique Aëris, inclusæ, ita nos ambiant, ut nemo mortalium illarum usu penitus carere possit, sed omni die earundem usum per vices admittere debeat, simul autem constet, quod pro diversitate applicationis, ab illis diversimode afficiamur, dum vel sanitatem obfirmant, vel lœdunt, ratio sane postulat, ut harum rerum, tanquam in effectu ambiguorum, cum naturalia sanitatis præsidia existant, legitimus usus

P R A E F A T I O.

usus, excluso illarum abusu, quippe qui lādere solet, inculcetur; ne iisdem præsidiis, quibus vitam sanam conservare possumus, eandem morbosam reddamus.

Enixō ita primo in hoc genere ingenii fœtu, alterum nunc in lucem prodire sīno, spe fretus, quod Tu, Benevole Lector, qui priorem benigne excepisti, alterum quoque tuo favore sis fomentaturus, quem si obtinuerit, mihi certe perinde erit, si uni aut alteri etiam displicerit, cum omnibus placere ne Jovis quidem sit. Sisto autem Tibi Pathologiam medicam, quam Tibi exhibeo sub titulo prioris opellæ paululum mutato: siquidem enim illa sub **Organismo & Mechanismo in Homine vivo obvio & stabilito** tuis exhibita fuit manibus, ita præsentem inscribere placuit, **Organismum & Mechanismum in Homine vivo labefactatum atque destruetum.**

Nullus dubito, quin Titulus ipsi Tractationi respondeat, & argumentum negotii pertractati comprehendant; sicut enim in priori scripto demonstravi, Sanitatem in conspiratione Organismi & Mechanismi, & debita, ordinata, proportionata motuum vitalium secretiorum & excretiorum hinc dependentium continuatione persistere; Vitamque essentialiter in præoccupatione corruptionis putridæ, & conservatione mixtionis animalis consistere; ita oppositum Sanitatis & Vitæ haud melius explicatum fore autumo, quam si Morbos & Pathemata molesta, Organismi & Mechanismi in motibus vitalibus

P R A E F A T I O.

secretoriis & excretoriis, labefactionem & laesionem quoad ordinem atque proportionem vel temporis, vel modi ac gradus vocemus, Mortem vero ipsam, totalem Organismi & Mechanismi destructionem, ipsiusque Putredinis inductionem sub omnium motuum vitalium omnimoda cessatione, nominemus.

Agam itaque in altera hac Medicinæ theoreticæ parte de Passionibus morbosis, p. n corpus humanum afflagentibus, habito respectu principaliore ad Causas: cum enim mihi satis superque constet, Medici officium in præservatione & curatione morborum consistere, neutram vero sine causarum morbificarum evitazione aut remotione constanter, secure & tuto obtineri posse, hæc causa mihi movens fuit, ut in morborum causas tam generaliores, quam specialiores inquirerem, easque præcipue eruerem, quæ non factio quodam in mente, sed vero naturali fundamento nituntur, & ita comparatae sunt, ut non modo in mente Medici compareant atque concipiatur, sed actu in corpore humano vel generatæ adsint, vel ab extra corpus nostrum lœdant, & in quas Medicus, si non semper directe & immediate, tamen per indirectum agere potest, earumque effectus morbos ac noxiuos vel tollere vel infringere valet.

Haud enim mihi omnes indagare causas remotiores aut remotissimas, easque percontari animus fuit, quarum consideratio, (licet in se iusta) nihil, aut parum utilitatis ad scopum medicum afferunt, bene conscio, multis illarum esse, quæ physico quidem nexus quidquam ad morborum productionem faciunt, sed multas quoque extra

P R A E F A T I O.

extra Medici & artis potestatem positas esse, ut nullo modo illas corrigeret aut removere valeat. Et ut verum dicam, licet harum causarum considerationem non rejiciam, neque in ipso tractatu ubique rejecerim aut omiserim, sed pro necessitate hinc inde notaverim, hoc saltim moneo, quod tales causae sub scopo medico-pathologico-practico probe discerni debeant a reliquis proximioribus & principalibus, quae proxime vim corpori inferunt, suiq; alterationem correctoriam, aut remotionem concedunt.

Idem quoque monendum duco circa modum operandi physicum causarum in corpus humanum, quod nempe Medico qua Medico (de Medico enim Physico non loquor) non semper necesse, necum saepissime utile sit, ex eo fundamento, ut causam ejusque productum, & utriusque nexus physicum inquirat, cum nulla hinc in ægrotum ejusque sublevationem redundet utilitas. Exemplo sit aëris effectus in corpus nostrum, de quo notissimum est, quod præcipue frigidus & siccus peripheriam æque ac humores sub illa hærentes, respective constrin-gendo, aut inspissando alteret, excretionem periphericam turbet, ac diversimode sanitatem lædat.

Si in hoc casu nimis late Medicus exspatiari voluerit in considerationem physici nexus & modi operandi, per inquisitionem in figuram particularum aëris, aut eaurundem conditionis; an v.g. hunc suum effectum edant, propter figuram aculeatam, hamatam, rigidam, oblongam, quadratam, aut rotundam, vel ex principio acido, aut salso, aliove, physico quidem scopo, satisfaciet, ut curiosis etiam aliis conceptum de modo aëris agendi physico

P R A E F A T I O.

sico formare possit, cum utique verum sit, certum corporum in corpora agendi modum, certam particularum figuram, formam, situm, motum, & conditionem requiri; verum si hæc ad medicum scopum applicare voluerit, nullam sane utilitatem inde percipiet, cum nullo modo in ipsius potestate sit, hanc aëris conditionem corriger, aut alterare & immutare, & per talem immutationem ipsius effectum in corpus ejusque humores impedire; sed simpliciter sufficiat, si evitationem aëris frigidis ut frigidi commendaverit, aut corpus ab illius injuriis debite præmuniverit.

Ut autem Lectori Benevolo sub frontispicio mox pateat, qualem in universa tractatione ordinem ac seriem servaverim, necesse est, ut sciat, præsens Opusculum in duas partes esse divisum, quarum prior **Pathologiam generalem**, altera **Pathologiam specialem** comprehendit.

Et cum intentio fuerit, in priore parte ea fundamenta suppeditare, quæ ad distinctum conceptum Doctrinæ pathologicæ, ab aliis Medicinæ partibus distinctæ, faciunt, nec non generalem Causarum morbificarum considerationem supponunt; hanc partem in novem capita dispescere libuit: ita ut in Cap. I. Pathologiæ necessaria præcognita tradam, simulque verum & proximum ejus Objectum declarem, quod Homo vivus secundum varios respectus constituit.

Cap. II. quid sit Morbus, & quid vero sensu medico per Morbum intelligendum sit, paucis declaravi.

Cap.

P R A E F A T I O.

Cap. III. De Subiecto morborum considerationem necessariam subjunxi, idque triplex esse, demonstravi, quatenus nempe vel Genus humanum generice consideratum, vel Individua certa speciatim, vel specialissimo sensu Partes in singulis afflictionibus affectae, pro tali declarari possunt ac debent.

Cap. IV. adjeci Morborum Differentias, quatenus vel Periodo, vel Typo, vel Indole, vel Causis, inter se discrepant, & ex his fundamentis in Scholis Medicorum variis distinctis nominibus insigniri solent ; ita ut vel chronici, vel acuti, vel legitimi, vel anomali, vel benigni, vel maligni & contagiosi, epidemici, aut sporadici, congrui, aut incongrui, exanthematici, salutares, aut lethiferi, curabiles, aut incurabiles, audiant.

Cap. V. tractationem de Morborum Causis institui, easque generaliter secundum suas classes perlustrandas suscepi, quatenus vel proximiores, vel remotiores, materiales, aut immateriales, antecedentes, continentes, occasioales, aliæve existunt, horumque terminorum applicationem ad morbos in genere ob oculos ponendam curavi.

Cap. VI. Doctrinam de Morborum Temporibus diversis peitracasti, respectu habito tam ad tempora morborum generaliora, quam specialiora, imo specialissima ; explicando, quidnam in scholis medicis per singula intelligatur.

Cap. VII. perpendens, quod varia sub morbis singulis occurrant pathemata molesta, de quibus ægrotantes conqueruntur, quæ tamen neque Læsionem morbosam ipsam, neque causam morbificam constituunt, quam

P R A E F A T I O.

quam citra utriusque præsentiam non adsint; sed conséctarium illarum constituant; tractationem de Symptomatibus suscepimus morborum, eaque in essentialia, & minus essentialia seu accidentalia distinximus, & utrorumque fundamenta diagnostica demonstravi.

His ita prælibatis, considerans, quod sub afflictionibus morbosis, quibus corpus humanum subjicitur, vel fluidæ, vel solidæ ipsius partes in specie patientur, læsæque existant;

Cap. VIII. Læsiones Humorum in genere, aut partium fluidarum, indicavi: quod nempe vel quantitate, & quidem excessiva aut defectiva, laborent: vel qualitate læsi existant; & sub qualitatis læsione tam consilentiæ & mobilitatis, quam mixtionis & puritatis læsiones in considerationem trahantur.

Cap. IX. considerando, quod Partes solidæ motuum instrumenta existant, & per illas motus in statu naturali & sanitatis ordinate & legitime administrentur, celebrentur; Motuum Læsiones ad examen revocavi, innuendo, duplii præprimis modo has læsiones in conspectum venire, dum velexcessu peccant, & exacerbati dicuntur, vel defectum in comparatione ad statum naturalem arguant, & Defectivi nominantur.

His ita pertractatis, cum fundamenti loco sufficere mihi visa sint, & ad singulos morbos respective, cum emolumento applicari possint, hanc partem priorem obsignavi, transitum faciendo ad alteram, nimirum **Pathologiam Specialem.**

Hanc Partem ita pertractandam suscepimus, ut ad tres generales classes Morbos, a causis internis provenientes, dispe-

P R A E F A T I O.

dispescerem, respectum habendo partim ad Humores, partim ad partes solidas. Unde tres adornavi Sectiones: quarum prima Morbos ex Vitio Sanguinis; secunda Morbos ex Vitio Humorum Particularium, tertia vero Motuum læsiones & anomalias comprehendit.

Series tractationis ita adornata est, ut Sectionem primam in IX. Capita divisam Tibi offeram, & Cap. I. De Plethora ejusque existentia agam, eamque ut causam generaliorem plurium morborum proponam, simul ac ipsius ortum & causas inquiram.

Cap. II. proximum & naturale Plethorae consequarum, Hæmorrhagias in genere considerat, earum Differentias & Causas generales ac universaliares perpendit. Quam considerationem

Cap. III. sequitur præmissorum proximior applicatio, ad Hæmorrhagias singulas in specie, quæ singulatim, secundum corporis regiones diversas, perpenduntur, earumque causæ specialiores, imo specificæ, suppositis nempe generalioribus, explicantur, quo innotescat, quo modo singula species hæmorrhagiarum per causarum peculiarium accessum, & proximiorem dispositionem excitentur.

Cap. IV. proximum Hæmorrhagiarum, si nimiæ forsitan fuerint, consequens pertractat, & Defectum Sanguinis, cum ipsius consequariis, in sanitatem & nutritionem redundantibus, perlustrat.

Cap. V. oppositum Hæmorrhagiarum pertractat, Suppressions puta Evacuationum sanguinearum naturalium, & causas suppressionis Hæmorrhagiæ narium, Fluxus menstrui, Lochiorum, ac Hæmorrhoidum, perlustrat.

P R A E F A T I O .

Cap. VI. in considerationem venit, quod Hæmorrhagiæ non sine apparatu motuum, & Naturæ directione contingent, sed ad loca excretionum sanguis compellatur, unde de Congestionibus, & Moliminibus congestoriis sanguineis, generalis consideratio instituitur.

Hanc Cap. VII. excipit consideratio Effectuum molestorum, quæ motus congestorios tunc potissimum sequuntur, quando excretiones hæmorrhagicæ ad finem non perducuntur, sed sanguineæ congestiones in locis vicinis subsistunt, & sanguis partes solidas in loco congestionis & stagnationis extendendo, vel opprimendo & opplendo, varias pro diversitate congestionis, molestias, ex parte dolorosas parit. Quo intuitu hic loci Capitis affectus dolorosi, vertiginosi, Pectoris infarctus & Tusses, cum Phthisi, Affectus renales, Nephritico-calculosi, nephritici spurii, & apostematico-ulcerosi; Hæmorrhoides cœcæ, Pathemata Hypochondriaco-Hysterica, cum Scirrhositatibus Hepatis atque Lienis pertractantur.

Cap. VIII. Materiam Inflammationum suscepi, easque ex genuinis fontibus deduxi: unde ex classe Externarum inflammationum, Erysipelas, Angina, Synanche, & Tonsillarum inflammatio, ex internis vero Phrenitis, cum Paraphrenitide, Peripneumonia, Pleuritis vera, Empyema, Pulmonum Vomica, Ventriculi, Hepatis, Lienis, Vesicæ, Uteri inflammationes, cum ultimo & funesto Inflammationum internarum consectorio, Sphacelo interno, in conspectum veniunt.

Cap. IX. Tractationem de Febribus aggreditur; & postquam ea, quæ generaliore nexu huc spectant, prolatas sunt, ad singulas species progreditur; primo pertractando

P R A E F A T I O.

Etando Febres acutas simplices atque benignas, tam a causa sanguinea puriore, quam admixta lymphali, & biliosa oriundas, atque sub hoc titulo, Ephemeram, Synochum, Catarrhalem benignam, Cholericam, Biliosam ardentem, cum Scarlatina, & Papulari, exponit. Deinde contagiosas & malignas, & hoc nomine Pestem cum Febris pestilentialibus, Febrem petechiale & petechizantem, Variolas, tam veras, quam spurias, Morbillos, Purpuram malignam, percontatur. Quo facto Febres compositas, & duplicates perlustrat; tandemque ad Chronicas pergit; & pertractione tam Lentæ & Hæticæ, quam Intermittentium, Quotidianæ, Tertianæ & Quartanæ, subjugendo Anomalas, Corruptas, & Symptomaticas, universæ Sectioni Pathologiæ specialis primæ finem imponit.

Secunda Morbos ex Vitio humorum particularium pertractionis, quinque absolvitur Capitibus.

Quorum Imum morbosa Bile particulares, Icterum, cum Diarrhoea biliosa pervolvit.

Cap. II. Morbos ex vitio Lymphæ & Seri pertractionis; tam horum humorum stases & extravasationes, quam eorundem congestiones & restagnations particulares perquirendo, Cachexiam & Chlorosin, Affectiones hydropicos & œdematosos, Tympanitem veram ac spuriā, Coryzam cum adnexis, ophthalmiam serosam, Cephalalgiam hujus nominis, Tusses & Asthmata, Catarrhum Suffocativum, Vomitum, Diarrhoeam, & Ventris profluvia, Scirrhos, Atrophiam, cum externæ cutis Defecationibus variis atque diversis ad perlustrandum proponit.

P R A E F A T I O.

Cap. III. Adfectus Venerei pertractantur: cum sequens Cap. IV. Pollutionem, & Fluorem Mulierum album benignum, ob oculos ponat.

Cap. V. Vitia excretionis Urinæ pervolvuntur, sub Titulis Diabetæ, Ischuriæ, Dysuriæ, Stranguriæ: & ita hæc altera Sectio absolvitur.

Sectio denique tertia Morbos ex Motuum vitio oriundos perpendens, præmissis generalioribus, in duo Capita divisa existit; ita ut

Cap. I. Motuum exacerbatorum vitia recenseantur, atque in illo, Cordis palpitatio, Spasmi & Affectus arthritici, Asthma convulsivum, Dolores colici, Cardialgia, cum Pathematibus convulsivis & epilepticis, nec non affectibus Maniacis pertractentur.

Cap. II. Defectus Motuum, tam particulares, quam universales perpendit, ideoque Affectus apoplecticos, Comatosos ac somnolentos, Memoriae debilitatem, Incubum, Lipothymiam cum Syncope; & ultimato ipsam Mortem exponit.

Tractationem Morborum singularium pathologiam ita institui, ut post singuli affectus Definitionem aut Descriptionem realem, Subiectum, tam generale, quam speciale exponam, subjunctis veris ac genuinis Causis, tam proximis & immediatis, quam remotioribus antecedentibus, & occasionalibus, eo ordine, quo in morborum generatione se invicem excipere solent.

Non diffiteor, hunc tractationis ordinem forsitan aliis nimis diffusum, & minus concinnum videri posse, cum sufficere fortassis ex illorum mente posset, si Causæ simpliciter allegatae, & posthabito illo ordine, recensitæ essent:

P R A E F A T I O.

essent: verum Ratio movens, cur rem ita disposuerim, fundata est in Utilitate majore, quam Auditorio meo, in cuius gratiam Scriptum hoc potissimum prodit, inde polliceor. Cum enim longa & multiplici experientia edoctus maxime compertum habeam, quantum difficultatis Juniores Practicos premat circa methodicam Casuum resolutionem, & inventionem veri ordinis in methodo medendi, & formandis Indicationibus practicis, secundum ordinem & nexus causarum, & quænam felicitas & facilitas Curationis posita sit in legitima, facili ac cœta Causarum se invicem excipientium enucleatione, ne ex confusa causarum cognitione confusa & sœpe perversa Medicatio oriatur, hoc felicitatis practicæ genus suavissimus meis Auditoribus præcipere nolui, sed potius ipsis occasionem publicam præbere volui, ut una fidelia duas parietes dealbare, i. e. Causarum morbificarum cognitionem, simulque habitum in Resolutione casuum praticorum sibi comparare possint; præprimis, cum totum negotium Praxeos clinicæ circa lectos ægrorum, in perpetua ac prompta Casuum resolutione extemporanea consistat, & hac methodo aptiores reddantur, ut sub Visitationibus ægrorum in omnis generis causas inquirere, easque per quæstiones apud ægrum instituendas cognitas sibi facere queant. Nec dubito, quin hæc utilitas pluribus etiam in Praxi jam constitutis Medicis ad palatum grata fuerit; quamvis enim me non lateat, exercitio pratico solerti, atque attento, hunc habitum comparari posse, nemo tamen unquam insiciari poterit, plures requiri annos, antequam proprio studio eousque deveniamus, ut difficultates ejusmodi medicas vincamus, ne dicam,

non

P R A E F A T I O.

non cuivis contingere, adire Corinthum: mei officii esse reputauit, ad minimum respectu Auditorii mei eo allaboreare, ut Studium medico-practicum pro viribus facilitetur.

Quem finem, si pro spe concepta obtinuero, sane mihi gratulor, certe persuasus, laborem meum non esse frustraneum. De reliquo monendum esse duxi, paucos quosdam morbos forsitan occurrere, quorum mentio in tractatu nostro haud facta est, qui tamen vel in Manu-
ductione mea ad Chirurgiam rationalem, ut externi jam pertractati sunt, vel B. c. D E O, peculiari labore, quem De affectibus Puerarum & Infantum Pathologico-
practice exarandum meditor, pertractari debent: vel tales demum sunt, de quibus, tanquam in nostris oris plane alienis, nil nisi aliorum verba, transcribere potuisse, cui labori autem supersedere placuit.

Ceterum idem scribendi genus, eandemque methodum retinui, quam in parte physiologica adhibui, cum expertus sim, hanc methodum si non apud omnes, tam apud plurimos applausum invenisse, eamque Auditorio utilissimam esse.

Accipe igitur, Benevole Lector, meum laborem eo quo tibi offertur animo sincero, utere illo cum fructu & emolumento, & Sphalmata quæ vel ex culpa amanuensis, vel Typothetæ irrepserunt, benevole emendes, nec desinas credere, Me semper labores meditari, qui tuo usui inservire valent. Dabam in Alma Fri-

deriana: D. XXIV. Septembbris,

MDCCXXVII.

ELEN.